



Disputatio medica inauguralis de dolore colico

<https://hdl.handle.net/1874/347314>

DISPUTATIO MEDICA
I N A U G U R A L I S,
D E

46.

DOLORE COLICO.

Q U A M,
DIVINO FAVENTE NUMINE,
Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,
D. HERMANNI van HALEN,

S. S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in inclyta Academia
Ultrajectina Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in
Ecclesia Præconis,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimæque
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè & legitimè consequendis,

Publicæ eruditorum censura submittit

JOHANNES BLANCQUEBYL, Embd. Fris. Orient.

Ad diem 16. Decembris, hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, clō lōc LXXXIX.

Integerrimo ac omni Æquitate Conspicuo
V I R O,

CORNELIO BLANQUEBYL,

Parenti charissimo, propter prudentissimam in educatione curam, vehementisque ac insuperabilis amoris in me indicium perpetuum, ad ultima suspiria diligendo, venerando.

N E C N O N

Reverendis ac Eruditione Fulgentibus VIRIS,

JACOBO VALLAN, M.D.

longà experientia clarissimo, Morborum profligatori Herculeo in illustri Trajectinorum Athenæo. Medicinæ cum Practicæ tum Fundamentalis principiis solidissimis superstructæ Professori Celeberrimo, Promotori charissimo, ad extremum Vitæ halitum colendo, suspiciendo.

JOHANNI MUNNICKS, M. D.

Celeberrimæ Academiæ Ultrajectinæ, Anatomes ac Botanices Professori Ordinario, Practico felicissimo, Urbis hujus Polyatro, quo ad vivam venerando.

*Studiorum suorum ductoribus facillimis, fidelissimis, vilem
huncce ac primum ingenioli sui partem*

Sacrum esse vult

JOHANNES BLANCQUEBYL. A. & Resp.

DOLORE COLICO.

THESIS I.



Uum antiquum jam & usu receptum sit, priusquam Academiae valedicat quispiam, materiam quandam explicare, aliorumque censuræ subicere; ego legibus hisce ut satisficiam, è tanta calamitatum humanum genus continuo infestantium farragine, etiam *quid valeant humeri, quid ferre recusent*, ostensurus; dirum illum atque atrocem humani generis hostem cum humorum excernendorum interceptione tum doloris acerbitate ægros in exilium præcipitantem adeo, ut è vivis potius esse, terræque visceribus recondi maluerint; *Colicam* puto quantum quantum potero per causas ac signa enucleare, ac armis denique ipsam eruere sufficientibus debellare in animum induxi.

II. Verum quandoquidem juxta Scaliger. *Exerc. 1. Sect. 1. à nominibus provehamur in rei cognitionem*, quod & ipse Galenus lib. 2. *Method Med. cap. 1.* quoque innuere videtur his verbis: *Inspicienda*, inquit, *est diligenter nominum diversitas, quæ agnitionibus imposuerunt eorum primi auctores* mei quoque id erit officii priusquam in hunc Labyrinthum me conferam nomina hujus affectus genuina tanquam clavum ac Ariadnes filum perscrutari, nam *ἡ ἀπὸ τοῦ ὀδοντὸς διδασκῶν, ἢ ἀπὸ τοῦ ἐξέταλιν τὰ ἀνέματα.*

III. Etymologiam igitur quod spectat, Græcis dicitur *κολικὴ διαδεδωσις*, *κολικὸν παθὸς*, ὁδὸν κολικὴ: Latinis *Colicus Affectus*, *Dolor Colicus*, *Colica Passio*, *Tormina*, *Colica*, quæ omnia tum à Symptomate dolore quippe tum à loco seu sede affecta Intestino Colo nomen sortitum fuisse arguunt: *Celsus lib. 4. cap. 13. morbum intestino plenioris nominat.*

IV. Sed antequam ulterius progrediar quosdam mihi inferre videor Veteribus hunc in orbem latuisse, sententiam suam stabilientes tum auctori-

tate *Plinii lib. 26. cap. 1.* referentis Imperatorem Tiberium omnium primum hoc morbo fuisse afflictum, tum quoque, nec *Hippocratem*, nullumve ante Tiberii tempora hujus mentionem fecisse: alit quam infirmo innitatur talo hæc eorum conjectura, cuius tum ad causas tum ad Divini Senis scripta attendenti satis superque patebit. Primum etenim quod spectat, sufficienter notum est illis qui primis tantum labris Medicinam degustarunt, causas malum hoc ordinario producentes semper corporibus inhæsisse adeoque facile conjiciendum eos procul dubio haud immunes ab eo degisse, quum causam ut plurimum internam intus fovere luce meridianâ clarius eluceat. Porro Hippocrati hunc non ignotum fuisse audeat affirmare ausus sum, quamvis non sub nomine Colicæ, sed alio nimir. *ειλεοι ειλεωδεια* &c. & in genere doloris intestinalis: quibus vocibus quosvis intestinorum cruciatus, tormina ac dolores designavit: cujus assertionis veritatem locis innumere probare ac demonstrare facile possem, quorum unum atque alterum tantum temporis brevitati obtemperans allegare animus est. Sic *Lib. 6. Epid. Sect. 4. No. 6.* conferendo cum *Libr. de Humoribus Text. xi. No. 16.* ubi probe attendendum ad locum doloris descriptum, cum situ Coli exactissime convenientem: item *Libr. de Flatibus. T. xiv.* tormina ac intestinorum agitationes à flatibus & *Libr. de Glandul. T. ix.* à piriuita: describuntur, & quidem diuturna, quod bene observandum haud Ille nunc temporis dicto ut morbo Acuto, verum Colico potius proprium esse. Quibus paucis clare satis Hippocratem Colicam descripsisse existimo, atque adeo his missis ac Etymologiâ data ad morbi ipsius Definitionem me converto.

V. Relictis autem sententiis eorum qui Colicæ mineram morbificam in quibusvis statuunt partibus Abdominis membranosis ac nerveis mesenterii puta plexibus, inter quos præcipue *Willisius de Anim. Brutor. part. Pathol. cap. xv.* ut & Peritonæo omnia infimi ventris viscera includente & simil. plur. quas tamen non plane rejicimus: nobis de Affectu Colico Colon tantummodo occupante nunc temporis sermo erit præcipuus: adeoque definimus. Quod sit *molesta & tristis sensatio, à nimis subita atque vehementi distensione, agitatione & motu nimio partium Coli nervosarum & membranosarum*, (Authoribus vulgo Solutio continui dicta quod an satis recte hic non anxie inquiremus) orta, fæcum interceptione ut plurimum comitata.

VI. Quum vero non minus vere quam jucunde Tullius caput bonorum consiliorum statuatur nosse Rem-publicam, sic etiam absque plenâ, & accuratâ partis affectæ notitia ac indagatione, ad bona consilia morbis adaptanda

tanda, vix bonus ac speratus datur aditus, quam brevi potero paucula de loco affecto prælibabimus. Ex data superius Definitione patet Affectus nostri sedem præcipue esse Colon quod est quintum intestinorum ab initio, secundum vero crassorum ab Anatomicis ita dictorum; medium inter Cæcum & Rectum, nomen hoc sortitum fuisse, quidam à Græca voce *κολαζεσθαι* id est à torquendo, ob tormina & diros cruciatus quibus sæpe divexatur ac torquetur: alii à *κολω* retardo, quod fæces in eo morentur ac retardent, propter Cellulas, quibus gaudet, majores: *Celsus loco citato* intestinum plenius vocat, quatenus cæteris omnibus est capacius.

Quoad situm, initium sumit, ab ossè ileo dextro, cui validissimis membranis affixum ad renem fertur eundem, hinc sursum versus hepatis cava adscendens ulterius sub ventriculi fundum ad sinistrum sese confert, ibidemque Reni proximo denuo ferme jungitur, ac deorsum rursus prolapsus, circa primam ossis sacri vertebra Recti principium constituit: Succedit situi ipsa constitutio indaganda, quæ variis seu tribus tunicis constans, una eademque totius fistulæ intestinalis existit, excepto quod tunica crassarum media, carnea dicta crassitie suâ, ut & intima longitudine majori ac proinde Cellulis latioribus, tenuium superent: accedit his ligamentum Coli superficiei inductum, ad firmandas ejus Cellulas majores. Cæterum quoad vasa, omnia habent eadem, & ab iisdem quoque ramis orta; Venas quippe, Arterias & Nervos: præter vasa lactea quæ si in crassioribus dentur non sunt adeo copiosa. Ultimum denique locum occupant Glandulæ passim per totum corpus hocce *tubulatum* dispersæ male Pejerianæ dictæ, quum putem ipsi Hippocrati hæc notas fuisse: hæc liquori, partim separationi materiæ alibilis ab excrementitiâ, partim intestinorum ab injuriis particularum acrium quadantenus præservationi, inservienti, generando, sunt dicatæ: Plura tum de ejus tunicis, ac vasis aliisque illud constituentibus qui velit, adeat Anatomix tum Scriptores, Iconumque depictores nam.

Dulcius ex ipso fonte bibuntur aqua.

VII. Partem Affectam excipiunt causæ, suntque in genere omnia quævis objecta impropportionata, quæ dilacerando, scindendo, pungendo, premendo, partes nervosas varie afficere, agitare, ac à solita positione divellere & in nimiam tensionem aut distorsionem adigere, proindeque doloris ac molestiæ sensationem inferre valent: Quæ optime in internas & externas dividuntur: Internæ consistunt vel in Materiatura vel in Structura; in Materiatura Auctores vulgo culpæ solent Pituitam, Flatus ac Bilem,

quorum tamen omnium cum putem ipsam M. S. esse fontem ac Scaturiginem, quovis modo vitiate existentem, hæc mihi ferme sola cum Spiritibus pro causa sufficiet, cæterosque humores ex illa tanquam penu ac promptuario depromere conabor.

Ordine igitur ut procedam paucula de naturâ hujus cruoris præmittere satius duxi. Sub nomine Sanguinis liquorem illum per Arterias ad omnes nostri corporis partes devectum, ac denuo per Venas continuo ad Cor refluxentem indigitari velim, quem misso isto quaternario principiorum numero, cum Hippocrate *libr: de prisc. Medicin.* innumeris]cujusvis magnitudinis situs & figuræ particulis maxime hæterogeneis, omnigenasque facultates habentibus constare existimo, quibus probe inter sese mixtis ac temperatis Homo prosperâ fruitur valetudine, alterutrâ tamen abundante, lucta inter eas contingit, in qua debiliores fortioribus succumbere coguntur, adeoque M. S. Laudabili sua Crasi ac qualitate vitiatâ, præ hujus seu illius facultatis exsuperantis prædominio, ac in locum quemvis depositione præter omnimoda morborum genera, penes ipsum Colon quoque ferocire, nostrumque affectum propositum *Colicam* quippe variis modis excitare potis est.

VIII. Et quidem primo cum liquor hic Sanguineus, ut supra dictum, per totum corpus distributus, partim nutritioni, partim certæ fluidi separationi inserviando, continuo consumatur, ad Oeconomiæ Animalis integritatem servandam continuâ etiam restauratione indiget quam maxime, quæ ex Alimentis quotidie ore exceptis ac in ventriculo & intestinis in Chylum mutatis eidem suppeditatur; qui Chylus sæpius tum culpa ipsius Ventriculi, ejusve fermenti debilioris, ut & ipsorummet Alimentorum viscosorum ac glutinosorum adhuc crudus magisque viscidus, nec satis rite elaboratus sanguini affunditur, quæ particulae licet aliquamdiu cum eo circulentur, debitam tamen alterationem ac sanguini assimilationem inire nequeunt, sed & illius motum reddunt debiliorem, atque adeo ad lentorem magis pronum (erratum enim concoctionis primæ vix aut non corrigitur in secunda aut tertiâ) unde tandem particulae hæc cum reliqua Massa per universam Machinam protrusæ, tandem per minutissima Arteriolearum capillamenta subter membranas ac tunicas Coli perreptantia, ob crassitiem viscosam ac irregularitatem transire nequentes, illic facillime hære ac obstructionem parere coguntur, ubi ulteriori sanguinis affluxu majori copia aggestæ ac inter tunicas effusæ, eas à se invicem, alteram deprimendo alteramque attollendo distendere, adeoque dolorem excitare valent. Et quidni etiam humoribus his pituitosis ac solito tenacioribus copiose

piose in Glandulas Coli intus spectantes depositis, mucī ac pituitæ copia major exinde coacervari ac in ipsam Intestini cavitatem deponi, & denique particulis serosis fluidioribus ac tenuioribus discussis interius arctissime affigi, ibique morâ Glandularum orificia claudere, acredinemque concipere & ita erosioni ac lacerationi facile Ansam præbere possent. Sic River. *Obs. Communicat.* IV. In Coli cavitate cujusdam Colicâ defuncti ingentia pituitæ frusta satis copiosa ac tenacia ipsi Colo intus adhærentia reperisse tradit. Et Galenus de seipso, copiosam pituitæ ejectionem, & post eam sædata fuisse tormina observavit.

IX. Præter sanguinis visciditatem modo explicatam, etiam Acrimonia peccans affectus nostri faber haud raro existit: hanc consistere puto in prædominio particularum biliosarum, salinarum, acidarum, omniumque sciendū lacerandi, pungendi facultate ac potentiâ, pollentium: hæ enim quamdiu debitam quantitatem non excedunt, atque spicula cuspidisque earum oleosis balsamicis particulis ut Spiritibus involutæ ac intricatæ sunt, stupidæ ut plurimum redduntur, & Mixtura ac Crasis exinde satis temperata manebit, nullaque ex iis noxa percipietur: his vero deficientibus, sui juris factæ repagulisque ac compedibus suis solutæ, atque divortium passæ in corpore nostro seorsim existere nequeunt, quin benignorum lenientium mixtura absente, illis sibi invicem occurrentibus reliquæ sanguinis partes nimis quoque commoveantur ac agitentur, quæ cum exinde naturæ adhuc deterioris evadant, effervescentias quasvis solito vehementiores excitare satagunt; unde ob harum defectum, aliorumve salium, quippe, excessum, Spiritus & cæteræ particulæ temperantes balsamicæ abiguntur si: supprimuntur, salinæ fluorem suscipiunt ac proinde acriores magisque acido muriaticæ evadentes, aliam naturam corpori nostro inimicam induunt: quæ tandem lege circulationis per corpus diffusæ per exiguas arteriolas inter Coli membranas quoque ejiciuntur, ubi facillime eorum poris sese insinuantes majorem in fibras hæc nerveas vim inferunt, easque ferrando pungendo ac dilacerando varie divellunt. Ipsa etiam Bilis propter meatuum si: viarum tum ad Vescicam felleam tum ad intestinum duodenum tendentium obstructionem, adeoque per vias ordinarias amandationem impeditam in Sanguinem regurgitare denuo posset, cui nimis diu copiosiusque inhærens perturbationis variæ Author existit (unde sæpius febres Colicam præcessisse aut illi adjunctas fuisse in Monachis laute viventibus diligenter observavit Carol. Piso libr: de colluvie serosa) dummodo in tubulos Coli delata, molestias haud exiguas, rōsionesque ac dolores excitare valet, qui tunc nomine Colicæ Biliosæ Authoribus veniunt.

X. Particulæ quoque hæ acriores sæpissime in pituitam incidentes sese intimius ei immiscent, ibique propter firmiorum partium glutinosarum ac tenacium cohæsionem libere poros earum transire nequientes, fermenti vicem obeunt, atque illas dilatando, molem earum si superficiem expandunt, tandemque rarefaciunt magis ac in *vapores flatulentos* abigunt, qui cum nuspiam exitum invenient, undiquaque per universum Colon ruunt, murmuraque & Borborygmos insignes haud absque manifesta satis distensione ac inflatione, doloribus vagis ac vix in uno loco persistentibus, inducunt. Et refert *Fernel.* se Colon à *flatibus* adeo distentum, vidisse ut brachium, ac Marcus Aurel. Severin. *de recondit: Abscessuum natura:* ut Ocream Itinerariam amplitudine ac capacitate sua superaret. Neque procedit *Willis:* Opinio, dolores hosce à *flatibus* in Intestini cavitate oriundos necessario flatum educentibus statim evanescere, cuivis etenim ad hypothesein hancce nostram attendenti satis patebit, particulis hisce viscosis discussis ac licet per anum ejectis, acriores, vinculis ac compedibus suis solutas, adeoque suo jure potitas, sese altius ipsismet, intestinorum membranis cuneorum ad instar infigere posse, easque spiculis suis dilacerando ac vellicando atrocissimi hujus doloris continuationum Authores existere: quibus accedit haud raro distensione validà à *flatibus* producta, membranæ ac tunicæ arcte adeo ad se invicem comprimantur, ut Sanguini, per Arteriolarum inter eas perreptantium vascula tenerrima affluenti, transitus denegetur, adeoque hic stagnare coactus, morâ sua acridinem acquirere, majoremque huc affluxum provocare potis sit, qui tandem uberius ac solito inordinatius in hæce partes irruens, quum satis prompte ac celeriter minimos membranarum tubulos pertransire, atque ab exilibus Venarum ramusculis recipi nequeat, copia majori accumulatur, ac denique dispositionem Phlegmonoideam, hinc ardorem ingentem, doloresque prioribus adhuc intensiores inducere potest.

Atque hæc de *Sanguine* cum humoribus ex ipso *derivantibus* dicta sufficiant, quibus quædam de *Spiritibus* addere placebit.

Peccant hi *quantitate* v. *qualitate*, aut *motu*.

XI. *Quantitate*, quum vel ex laboribus immodicis studiis irremissis cogitationibusque ac intentionibus nimis seriis solito magis dissipentur ac consumantur, unde illis deficientibus ac non sufficienter in fibras Coli influentibus motus ejus Peristalticus vulgo dictus imminuitur, fœcum expulsio retardatur, earumque accumulatio augetur, quæ tandem majori copia hic collectæ intestinum implere nimiumque expandere valent: adde quod Spirituum penuriâ viscerum concoctiones, functionesque pervertantur, ac de

defraudentur, chylus haud rite perficiatur, Sanguisque vappidus crudior ac denique acrior reddatur.

Qualitate vitiantur, cum sint nimis volatiles, tenues adeoque cito dissipabiles, seu ut *Willisii* verbis utar, explosivi: aliove quovis modo impuri, acres, & à leni sua balsamicâ virtute degenerantes, unde varie inter sese pugnant, seditiones movent, inquietudinis ac fermentationis indebitæ, hinc & multarum ægitudinum causæ existant.

Motu culpandi sunt, quoties qualitate quapiam acri aliasve è supra memoratis vitiosâ imbuti impetuosius & nimia vi per Coli nervos fibrillasque delati, exirrequieta particularum hæterogenearum Sulphrearum puta aliarumve mutuâ collisione rapide tumultuantes in *drachmâ* adiguntur, easque immaniter distendunt, concutunt, unde fibrillæ hæ corrugantur, contrahuntur ac à solitâ suâ positione divelluntur: Quem motum tamen præternaturalem ut plurimum Spirituum Crassi satis bonâ existente, à quibusvis particulis acribus aliisve è sanguine, aut aliunde, delatis, irritandi ac mordicandi aut quoquo modo p. n. Nervos & fibrillas afficiendi vi & facultate præditis hic loci existentibus ac ipsismet poris altius infixis causari existimo: quoties etenim partes hæ membranosæ ac nervosæ sensu molesti seu noxii alicujus infestantur, Nervosum Genus insurgens dum illud excutere conatur; Cerebrum (ut metaphorice loquar) præ continuatione a quo prodit, ad illud obeundum, in consensum trahit, quod nervorum hancce affectionem persentens suppetias afferre nititur, Spiritusque animales à se in nervi illuc tendentis initium protrudens, quibus aperto tanquam tramite (ut ita loquar) solito uberius ac inordinatius irruentibus, *Spasmodici* Spasmodica inducitur; atque hinc tensio illarum partium si non initium sumat, attamen continuatur vehementius, adeoque illa tristicola Menti sensationis idæa repræsentatur quæ Medicis vulgo *Colica Convulsiva* sive *Spasmodica* dicitur.

A *Spiritus influxu* in hæc partes depravato motus etiam intestini Lumbricalis non tantum languidior sed & inversus omnino haud raro producit, qui tum per continuationem totius corporis hujus tubulosi, ut & Nervorum ab eadem propagine ortorum etiam ipsi Ventriculo communicatur, cujus fibræ cum repente ac tumultuosè adeo inflentur, mox abbreviantur, latera ac fundus ad se invicem propius adducuntur, simulque versus orificium superius corripuntur, unde quævis contenta in Oesophagi ductum attolli, vomituque per os reddi necesse est: quod in Colicis adesse sæpius observavimus. Quoties vero Spiritus hi vitiosâ quavis qualitate seu motu suo enormi peccantes per Metastasin ad spinalem Medullam,

dullam, nervosque ex eadem ortos ac versus Artus spectantes deferuntur, obstruendo, facillime horum Paralyfis inducitur: vel etiam Spiritibus ob rationes supra allatas copiosius ad Colon affluentibus ibique ut plurimum consumptis fieri etiam poterit, ut reliqui haud sint sufficientes porro, ad debitam solitamque fibrillis ac nervis his inferendam turgescientiam & distensionem, unde illos collabi, Resolutionemque consequi oportet: de hac Colica in Paralyfin degeneratâ videantur *Avicenna*, *Aegineta*, ut & *Cicelius de morbo Pictonico*.

XII. Causis itaque partium fluidarum enarratis, solidarum partium Structura consideranda succedit, quatenus per morbum aut ab ipsa nativitate constitutio earum vel vitata aut debilior solito, adeoque ad materiæ morbificæ accumulationem morbiq; exasperationem promptior existit: & quidam primo structuræ vitia in ipso Colo varia subsistere posse censeo: sæpius etenim fibræ ejus membranacæ ab ipsa nativitate redduntur adeo teneræ ac tremulæ sensilesque, ut lenissimo tantum impetui resistere nequeant, sed illico crispaturas ineundo, Spirituum, blande per eas fluentium, varias molestasque turbas excitare valeant. Cellulæ quoque ac Valvulæ conniventes intus spectantes si solito latiores profundioresque fuerint, fecum Alvinarum ut & flatuum aliorumque corporum incongrue ingestorum excretionem impediunt. Porro quidni & ipsæ glandulæ hic latentes in culpa hærerè possent, quatenus ductuli earum suâ sponte nimis angusti, seu quavis de causa obstructi adeo sint, ut humores serosi viscidiores per eos trajiciendi illic subsistere cogantur, ac morâ acrimoniam concipiant, quâ tandem intimam Coli tunicam his proxime subjacentem (quæ notante *Williso Pharm. Ration. part. 1. Sect. 1. cap. 2.* adeo tenera sæpe existit, ut etiam ab Enemate licet Anodyno Spiritus statim excandescant) perforando ac rodendo, tormina horrenda producere queant. Pertinent & huc quævis vulnera ac plagæ intestinisinfectæ, Casus, item & ipsius Coli post ulcera progenitæ coalitiones de quibus vid. *Miscell. Med. Phys. Ann. 2. Obs. 87. pag. 140.* item & *Historia Holler. de morb. intern. lib. 1. cap. 41. in Schol. de Colo prope renem cartilagineo facto &c. plur. de quibus vid. Observatio- num Editores.*

Præter hæc memorata, Ani etiam Sphincter læsus, munere suo haud probe fungens symbolum suum addere potest, constrictione etenim ejus in toto seu ex parte impedita, Aëri extrinsecus frigide irruenti, flatuumque exinde accumulationi Ansa subministratur.

XIII. Hæc de causis internis, sequuntur & externæ, quæ vulgo in *sex rebus n. n.* existunt: inter quas primum merito obtinet *Aër*: qui teste

Pom-

Pompeio Caim. libr. de febr. putrid. *insalubritatis & interitus nostri causa existit saepe*: præcipue summe frigidus contenta quælibet spissiora & magis viscida reddit, & quidem ob ambientis conditionem pororum major fit mutatio variaque transpiratio, unde saepe recrementa sanguinis condensata per solita emunctoria difficulter ejiciuntur, quæ in corpore retenta variis modis affectui quoque nostro insidias struunt: frigidum quoque membranis & omnibus nervosis partibus (quibus ut plurimum intestina constant) maximum ac juratum esse hostem jam dudum pronunciavit Senex noster *Aph.* 18. f. 5. Spasmos & convulsiones infert *Aër Borealis tormina* excitat. *Aph.* 17. S. V. & Cels. libr. 2. cap. 1. Sic itidem Carol. Piss. cap. 2. *l. br. citat.* notat *semet ipsum* *sæviente Borea* immanibus Coli doloribus semper fuisse vexatum, ut licet in lecto decumbens aut Conclavi inclusus, Boreæ flatum etiam levissimum certo divinari potuerit, Aër præterea si multis acido salinis vaporibus è terræ vel visceribus, seu ut plurimum è Maris sinu in altum elevatis sit refertus, adeoque muriaticus quasi existens diversimode sanguinem ac humores alterare, iisque varium motum fermentativum imprimere, omnigenosque modo fixationis modo volatilisationis aut fluoris status inducere, diversisque modis Colicam excitare potis est; quam haud raro maritima Ora inhabitantes, ut & nautæ è Mari domum venientes experiuntur, *Colicam* *que Scorbaticam* dictam patiuntur. Pertinent insuper & huc cujusvis generis *Miasmata putrida*, *Contagii* nomine venientia, *Helmontio importuna fermenta Aëri innatantia*, quæ per inspirationem ut & per poros sanguini nostro communicata totum corpus postea inquinant, vel prout determinatis in corpore partibus adversa easdem corrumpunt, unde dubio procul *Colicæ* istæ universas Regiones occupantes & Epidemicæ quasi ortum trahunt: cujus meminit *Aeginet.* à finibus Italiæ per pleraque alia Romani imperii loca pestiferæ grassationis adinstar sævientis: ut taceam de Avicenna, Colicam de Regione in Regionem, de homine ad hominem pervadentem, notante &c. *Aëre* tandem calidiore nimis Salia sanguini & humoribus inexistencia exaltari variasque figuras corpori nostro inimicas adipisci, cui quæso later.

XIV. *Aëri* succedunt *Cibus & Potus*: quibus haud exigua etiam in generandis & alterandis corporis nostri humoribus, temperandoque ac corrumpendo valetudinis statu inest vis ac efficacia; quam quoque hoc in Affectu satis strenue exercent, præsertim alimenta quævis acriora: *Piper. Zinziber. Sinapi* &c. item omnia viscida, frigida, flatulenta, ut *Pepones, Melones, Cucumeres* quorum esu solo *Colicam* productam refert *Binningerus Obs.* 40. Cent. 3. item *Allia, Porrum, Cepæ, fructus horæi* quivis ut
 B 2
 pruna,

pruna, pira, ac uvæ præcipue immaturæ, ut & Legumina omnia, fabæ ac Lentesc, Olera, Brassica muria condita Germanis familiaris &c. quævis denique facile corruptibilia, quæ Ventriculo multum operis in digerendo facessunt, ac difficulter in sanguinem satis probum assimilari poterunt, reliquamque Massam quoque in sui naturam convertere nituntur: pertinent præcipue etiam huc quævis Acida, suapte naturâ nervoso ac membranoso generi infesta teste *Coo. Aph. 18. S. V.* & levi opere convulsivam iis Diathesin inducentia: huic Catalogo etiam inferenda quævis dulcia præcipue *Saccharata*, bili generandæ prona acidumque in sinu gerentia damnosum, quod resolutum, in corpore demum spicula sua exerit &c. Hujus farinæ innumera, quæ omnia sigillatim recensere nauseam parerent. Præter *qualitatem* tamen etiam *quantitas* peccare sæpe numero potest, quum etenim ventriculus cibus nimia copia ingestis onustus fuerit, fermentumque ejus ac calor tantæ copię digerendæ non sufficiant, necessario in pastam acidam, crudam viscosamque degenerant, hinc Chylus crudus, sanguis depravatus, Spirituum aut inopia aut Crasis vitiosa, particulis Spirituosis ac balsamicis deficientibus, ac proinde mala sequitur corporis dispositio.

Idem de potus nimia ingurgitatione præcipue vini Spirituosioris, cruorem nimis fluxilem ac acrem reddentis, acidive aut austeri, dicendum, quæ innumeros cruciatus aliaque mala producere valet: unde haud incongrue: *Intemperantia Medicorum dicitur Nutricula. Cerevisia* quoque si fuerit crassa, turbida ac non satis defœcata suæ in corpore nostro indolis vestigia relinquit, atque sola adinstar omnium existit *Colica* producendæ idonea.

XV. Neque *Motus & Quies* extra culpam erunt: *Motus* quippe existente immoderato *Spiritus* nimium dissipantur, unde sanguis particulis Spirituosis atque balsamicis privatus acrior evadit: *Quies* vero nimia Spiritus reddit inertiores minusque mobiles adeoque muneribus suis obeundis ineptiores, quos sequitur tardior M. S. circulatio, indeque Oeconomix tum animalis tum naturalis læsiones variæ; quod in iis qui vitam vulgo agunt sedentariam clare satis patet, dummodo variis incommodis obnoxii sunt.

XVI. Cum his pari fere passu ambulant. *Somnus & Vigilia*: hæc enim utraque modum excedentia malum *Aph. 3. S. 2.* seu morbum *Aph. 71. S. V.* noster *Medicorum Parens* pronunciat: Inter animi *Parbematata* occurrit præcipue *Ira* ob sanguinis incandescentiam & salium fervorem eorumque ad partes nervosas sæpe protrusionem: sic & *Mæstitia* non plane excludenda, tum ob M. S. motum debiliorem Spirituumque vitalium depressionem, inde-

indeque ortam imperfectam concoctionem, succorumque crudorum accumulationem.

Inter *Excreta & Retenta*, *Faecum excretio* impedita se prodit, hæc quippe ob seri defectum induratae aliasve accumulate exitum non invenientes hujus affectus auctores haud raro existunt: sic Platerus notat doloris Colici ablationem post scybali maxime duri ac velut in saxum conversi rejectionem &c. Plura de hisce qui velit adeat Authores Diæteticos & institutionistas, late satis illa tractantes.

XVII. Sed præter memoratas *passionis Colicæ* causas etiam plures haud ita frequentes observantur ut sunt *Lumbrici Fabric. Hild. Obs. Calculi: Fern. Patbol. cap. ix. ut & Horst. Epist. Med. S. ix.* Calculum ovi Gallinacei magnitudinem exsuperantem, post dolores ingentes rejectum: sic *Binninger.* narrat de Textore longe tempore Colica gravissima laborante, in cujus defuncti Colo maximopere extenso plus minus pondus trium librarum, nucleorum Cerasorum ac prunorum in sese arcte compressorum (quæ illic per triennium hæserant ex relatu uxoris relictæ,) ut & 40. globos plumbeos bombardarum portatilium se reperisse: his accedunt ossicula pedum Gallinarum à muliere deglutita: ut & Caseus copiose ejectus: *Plater.*

XVIII. Tantum de *Causis*: sequuntur *Differentiæ*, quæ variant: 1. *Ratione loci affecti*: sic vel Colon totum, vel tantum ejus suprema s. infima portio præcipue tamen in latere sinistro, ubi maxima illius est angustia: 2. *A magnitudine* ac intensione doloris, respectu materiæ morbificæ paucioris minorive, seu copiosioris adeoque majori affligendi vi præditæ: 3. *Ratione qualitatis ac speciei* doloris: sic alii sunt extensivi, alii rodentes, alii pungentes, alii denuo erratici ac vagi, alii stabiles ac fixi &c. plur. de quibus diffuse satis tractat. *Gal. de loc. affect. cap. 2.* 4. *A tempore* alius dolor est recens alius antiquus & Chronicus adeoque habitualis factus, alius continuus, alius interpolatus ac periodicus certis temporibus affligens qualem se observasse tradit *Binninger. Obs. 52. Cent. 2.* hebdomatim ingruentem. 5. *A causis* alia Colica est biliosa, alia pituitosa, stercoracea, Convulsiva, Scorbutica ac flatulenta. 6. *Ab evenru ac more* alia benigna, alia maligna qualis illa *Avicenn. & Paul.* alia lethalis subsequente morte, alia denique in alium affectum terminatur *Paralyfin* puta ac *Epilepsiam* &c. 7. *A conjunctis* alia cum alia sine febre ut & inflammatione, alia vero Nephritidi conjuncta quibusdam *Colique Gravelense* dicta: ultimo alia *Idiopathica* per se, alia per consensum &c.

XIX. Sequitur tandem *Diagnos*, quæ cum *Authore Tralliano* libr. ix. cap. 1. rectæ curationis sit clavus, ac Medicus tantum valeat in curando

quam dignoscendo; Signa quoque affectus nostri brevi intuebimur & quidem illa in genere Colicam denotantia, sunt: Cruciatus ac dolores ingentes in abdomine existentes, nunc vagi, nunc fixi, nunc infra nunc supra Umbilicum, maximam tamen infimi ventris partem ut plurimum occupantes, modo dextram, modo sinistram: adest Nausea, sæpius vomitio, appetitus dejectus, sitis, fœcum flatuumque suppressio, abdominis tensio ac contorsio, totiusque corporis jactatio hinc inde: immoderata vigilæ &c. quæ omnia tamen simul & semper in uno eodemque subjecto haud observantur, sed variant ratione causarum affligentium, quarum præcipua igitur criteria sigillatim proponere gliscit Animus. sic

XX. Ubi Colica fuerit *ab humoribus pituitosis*, dolor ut plurimum aderit gravativus, in una parte stabilis, terebri perforantis ad instar. Cruditas Pituitosa & victus ratio ad pituitam generandam idonea præcessit: ventriculi imbecillitas, cibi concoctiones deteriores, Nausea, ructus vomitus pituitæ, atas, & anni tempora observentur sedulo.

A Fl tibus: patiens conqueritur de dolore tensivo ac distendente vehementi, vago ac instabili, rugitus & murmura in Ventre tumultuantia auresque tum ægri tum & ipsorum adstantium satis ferientia, ac fluctuationes totius ferme Coli, nunc hanc nunc illam partem occupantes, & universum abdomen maxime tumidum reddentes percipiuntur, victus flatulentus fructuumve horariorum præcessit, fœces licet parvæ admodum ejectæ, leves, stercorei Bovino similes, ac spumæ instar aquæ innatantes, pituitosæ &c. Particulæ acriores ac biliosæ si in causa fuerint, dolor sentitur acris dilacerans & erodens, magis tamen fixus, Ægri conqueruntur ac si Intestina arrodantur, sæpe adest febris, sitis ac vigilæ, Urina flammea ac ardens, alimentis ac Medicamentis acrioribus ac maxime calidis malum augetur ac irritatur, levamen vero sentitur à quibusvis acrimoniam demulcentibus, sæpe vomitus adest biliosus ac amaritudo oris. Ubi inflammatio adest, omnia modo in *Biliosâ* dicta quoque observantur, hac tamen distinctione, quod Symptomata illa reddantur multo vehementiora ac acerbiora, adest dolor pulsantis ac punctorius intestinum aciculis pungi quasi videtur, ardor, febris, ac sitis continua, Urinæ interdum fœcum semper ejectio rara s. nulla fere, Oris siccitas, fervoris maximi in loco affecto perceptio, morbi biliosi sæpe præcessere ut & febres Ardentes, Dysenteria &c. Urina intense colorata; his omnibus addatur aër existens æstuosus ac fervidus, Sanguinemque accendere valens. Fœces induratas & accumulatas arguunt magni ac gravis cujusdam ponderis in Abdomine sensus imaginatio, distensio ingens ut intestina rumpi quasi vi-

si videantur, antecessit usus sæpe ciborum adstringentium, exercitationes vehementes indeque sudoris per transpirationem solito majorem largior profusio : conjectura etiam hæc augebitur si patiens in statu sanitatis etiam tarde adeo fæces dejicere consueverit : hisce tamen omnibus certiores ex ipsius ægri relatu fieri possumus.

A Convulsione ac proinde à *Spiritu inordinato motu*, si fuerit : dolores erunt atrocissimi, adest insignis omnium Abdominis partium velliatio ac constrictio, unaque cum umbilico introrsum retrorsumque revulsio ut umbilicus lumbis quasi assutus ac nullum ferme videatur Abdomen, quod & sæpe tanquam injecta fascia constringitur, & recte notat Dn. Sydenham paroxysmum sæpe remittere, mox denuo recrudescente haud absque horrore ac vultu miserabili ipsius Ægri : corpus varie intorquent ac incurvant, propter vehementem ac repentinam partium nervosarum distensionem. Lumbricorum præsentiam monstrant præter alia nunc non memoranda; pruritus narium, sitis infesta, interdum murmura ac rosiones, Oculorum suffusiones, Appetitus sæpe prostratus sæpe caninus, animi deliquia, Nausea, vomitus, subinde & levitas intestinorum subsequitur, qua haud raro Lumbrici quidam una cum fæcibus pituitosis, ac mucaginosis dejiciuntur, totus venter intumescit, reliquum vero corpus perquam gracile fit ac extenuatum.

XXI. Sunt tamen & alii infimi ventris cruciatus maximam cum Colicis habentes affinitatem, quorum signa distinctiva nisi temporis velocitas id vetaret essent quidem addenda, quæ jam sicope pede præteribimus, inter illos vero quum maxime emineant Nephritici vulgo dicti, a quibus ipse sese deceptum fuisse candide fateri coactus fuit Galen. dum doloribus intensissimis in infimo ventre oppressus terebra perforari quasi videretur, copiosissimum spatio per quod a renibus ureteres versus vesicam descendunt; ita ut certo putaret lapidem ureteribus impactum fuisse, quod tamen falsum post sedatos dolores ab ejecta pituitæ ut vocat vitreæ satis magnâ copia, eventus probavit: hoc autem si Viro in arte Medica exercitatissimo & structuræ corporis satis gnaro obtigerit, quid quæso non in rudioribus eveniet? quare obiter illorum à Colica Criteria distinguenda addere gliscit animus: Quæ desumuntur ordinario vel à *loco effecto*, quoties etenim dolor versetur in partibus anterioribus ac situ Renum sublimioribus certum Colicæ indicium præbent, dummodo Nephritici profundius hæreant, ac magis Spinalem Medullam prope, qui locus omnium optime inflexo cubito versus posteriora assignatur: tum à proprietate doloris & symptomatibus: sic vomitus in Colica frequentior quam in Nephritide, propter

majo-

maiores Coli cum ventriculo continuitatem, tum etiam alvus suppressa magis est & quæ redduntur seu per os seu per alvum sunt fere pituitosa ac biliosa vel scybala inferne evacuata arida magis ac arctius compacta, in Nephritide vero naturalia fere ac magis sincera: Dolores sæpe in Colico magis sunt vagabundi ac tensivi, in Renibus si vitium lateat fixi ac stabiles: Clysteribus lenientibus majus levamen percipiet Colicâ quam Nephritide afflicta. De Urina etiam interdum quid augurari licet, siquidem in Nephritide Urinæ difficultas ac continentia est frequentior, ac sæpissime postquam aliquamdiu steterit Arenosa quædam subsidunt, aut si lapis in Renibus existens substantiam eorum dilaceret cruenta haud raro evadit, ac ubi æger se de latere in latus convertat dolor exacerbatur, in Colica minime: Tandem rigor & stupor crurum eorumque motus sufficiens impeditus, in Viris retractio testiculorum, in mulieribus partium inferiorum penes pudenda, comitantur in Nephritide: Quorum omnium tamen cum dubia quædam existant, ea probe conjungenda ac conferenda: & quum peritissimi etiam Medici in iis haud raro fallantur, ea non tanquam semper vera asseruisse, sed ut sæpe contingentia attigisse tantum sufficiet. Atque hinc missis priusquam ad curam deveniamus de morbi eventu quid sperandum spectanda restant.

XXII. *Prognosis* igitur quod attinet: ea denuo differt ratione causarum & modi affligendi.

Sic Colica pituitosa ab humoribus viscidis inter Coli tunicas conclusa orta satis longa esse consuevit, ac difficulter cedit, in intestini vero cavitate subsistentibus facilius est curationis; siquidem Clysteribus interdum eliciuntur, ac morbi cita solutio sequitur: Itidem de flatulenta augurari licebit, quæ tamen flatibus discussis, particulis vero acrioribus sese altius ipsismet membranarum poros insistentibus, longioris tunc afflictionis ac paroxysmorum recrudescentiæ causis existentibus in habitualement haud raro abit. A fecibus induratis aliaque materiâ duriore Intestinum obstruente minime etiam parvi facienda, nisi forsitan tempore Alvus solvatur ac contenta mature satis deiciantur. A particulis acrioribus s. biliosis orta, non est periculi experta malumque ordinario Chronicum ac diuturnum: ut & illa quæ febribus intermittentibus ac ardentibus supervenit.

Ratione eventus & Symptomatum: sic spes futura salutis arguunt dolores vagi locumque mutantes, alvus respondens, dolorum intermissiones, levamen post excrementorum aut fecum excretionem, sponte s. Clysteribus adhibitis ortam, respiratio facilis, quies ægro inducta &c. Mortis vero periculum minitantur: dolores gravissimi, fixi, continui nunquam inter-

intermittentes, absque ulla quiete, alvus pertinacissime obstrueta, vomitus vomitui succedens nullo subsequente levamine, singultus, vigiliæ intensæ, ac continuæ, desperatio, delirium, Animi deliquia, refrigeratio partium extremarum teste Hippocr. Aph. 26. S. 7. ac denique Sudores frigidi præsertim in fronte.

Inter *dubii eventus signa*: referendas puto Colicas Epidemicas in alios, morbos degenerantes, Paralyfin quippe Epilepsiam &c. quorum priori correptos evasisse, posteriori vero è medio sublato fuisse Ægineta; contrarium vero Citesius notat.

Colica vero ab *Inflammatione* orta, præter reliqua graviora Symptomata ipsam comitantia quum in *Ileum* abeat ac *Gangrenam* Colo inducat, ægrum ut plurimum jugulare solet: quale Exemplum mihi jam pridem in urbis hujus *Nosocomio* publico videre licuit; in viro quodam Colicis doloribus Medicamentis interne & externe adhibitis nullo modo cedentibus afflicto, qui tandem indies exacerbati magis ac magis, miserum illum ad plures rapuere; in cujus defuncti cadavere mediam ferme Coli partem superiorem cum toto Cæco ac ingenti Ilei portione in ipsum reliquum Colon ac Rectum illapsam, ea omnia Gangræna affecta observavimus. In viris denique Colica periculiosior in scæminis vero frequentior existit.

XXIII. Verum quum Ægri non speculantem tantum sed & curantem atque non verbis sed herbis divitem exoptent Medicum, curationem affectus nostri quam brevi potero aggrediar, in quâ duæ sese præcipue offerunt *indicationes*, quarum *prima* doloris sedationem: *secunda*, noxiorum humorum (tanquam causarum) evacuationem postulare videntur, quæ tamen sæpe facili Marte, iisdem perficiuntur.

Inter varias itaque Colicæ species superius a nobis explicatas primo sistit *Pituitosa*, cui *flatulentam*, cum illius causam materialem pituitam existere innuimus, subjungemus; & siquidem cura una eademque utrique potissimum conveniat, mutatis saltem mutandis una ferme fideiâ duos quasi parietes dealbare conabimur.

Scopus igitur noster erit dolorem lenire, humoresque peccantes ednecere flatumque discutere. Quandoquidem vero doloribus ægros excruciantibus citissime succurrendum ac auxilium minime differendum, nullum hisce intentionibus satis faciendi remedium ipsis *Clysteribus*, si modo patientes posteriora Analytica coram Ministris denudare non detrectent, hic commodius dari putem, tum quia propter affinitatem Partis affectæ rectâ viâ ac integris viribus ad eam deferantur, tum quoque quod ordinario Al-

vum subducendo nullas corpori & humoribus turbationes inferant, Valetudini minime obstant, quavis diei horâ usurpari possint, vires, quarum ratio hic maxime habenda, non prosteruant, ac tandem alvum prout alia Cathartica solent haud ita denuo obstipent. Quare ab ipsis merito initium erit faciendum: Sitque materia eorum ex emollientibus, incidentibus, vias laxantibus leniterque attenuantibus, incidentibus flatuque discutientibus: Decoct: Herbar: Alth: Malv: Parietar: Betæ Mercurial: Puleg. Calaminth: Ruth: fl: Chamomill: Melilot: Aneth: Sem: Anis: Fœnicul: Carui, Dauc: Cumin: &c. in Colat. dissolvend. ol. f. commun, Aneth. Rutac. Chamomill. in parva tantum quantitate, quoniam illa quæ nimis mucaginosa sunt, hic non adeo conducant siquidem visciditates adaugent. Maxima etiam cautio erit habenda in adhibitione eorum, ne vehementer calida ac acria eorum compositiones ingrediantur, sed ea quam maxime esse fugienda, quæ humores lentos crassos ac viscidos nimium rarefaciendo in flatu ac vapores copiosos facillime attollere, atque adeo loco dolorum mitigationis, majorem potius eorum exacerbationem inducere valent: sit igitur pro formula sequens ꝛ. Herb. Malv. Parietar. Betæ aa. mj. fl. Chamomill. Melilot. aa. mß. Bacc. juniper. ʒvj. coq. in f. q. Aq. ad ʒx. add. Colat. Sal. Gemm. ʒiß. (quod specificâ quadam proprietate ad viscidos humores, fœcesque induratas diluendas, ab invicem separandas ac educendas mirifice conducit) Sin vero eum purgantem volueris addi possunt El. Diaphœnic. Diaprun. sol. aa. ʒß. item aquæ Benedic. Ruland. ʒi. aut ʒij. El. Hier. Picr. q. pl. ad magis emolliendum quidam etiam incoquant Semin. Lin. Fœnugr. ut & Rad. Alth. quæ tamen propter nimiam visciditatem nullo modo approbare, ob rationes supra de additione oleorum datas, multo minus cum illis facere possum, qui Enemata ex meris oleis sive crudis seu coctis injicere solent: sin vero oleum addendum sit, omnium optime ob partium tenuitatem hic commendamus ol. Nucum. Alii ea ex solo Vino parant, ubi notandum vina coctionem non perferre, dum facile inter coquendum acescunt, adeoque plus detrimenti afferunt.

Quod si flatu adfuerint incoquantur Carminantia temperatiora: ut Sem. Apij. Anis. fœnic. Petroselin, Dauc. Ammeos. Aneth. Seseleos. Bacc. Laur. Radic. Fœnicul. Apij. &c. v. g. ꝛ, Herb. Bismalv. Parietar: flor. Chamomill. aa. mj. Summitat Aneth. Fœnicul. aa. mß. fl. Sambuc. p. 1. Sem. Anis. Fœnicul. aa. ʒj. Bacc. Laur. ʒij. coq. in aq. pur. f. q. ad Colat. ʒxij. duabus vicibus injiciatur: siquidem præstat parum simul atque repetitis vicibus infundere, ne venter ac intestina jamjam inflata, magis adhuc tumida red-

dan-

dantur: Post horum vero injectionem si Alvus non reddatur lubrica, sed & ipse liquor injectus nimis diu retineatur, Clysteres Clysteribusingere, alvumque importunâ eorum injectione plurimum gravare minime decet, quum tot tantaque Decocta per vim infusa, ægris noxam potius ac molestiam quam ullum pariant commodum; hoc autem in casu ea Suppositorio potius aliquatenus acri ad exclusionem irritanda.

XXIV. Cæterum Materiâ ex parte evacuata, doloribus tamen non remittentibus fomenta calida adhibere Abdomini licebit: quæ fieri poterunt ex Magmate Clysterum relicto, aliisve herbis emollientibus moderate calefacientibus ac digerentibus: ad quod: $\mathfrak{R}$. Herb. Alth. Malv. Calamenth. montan: aa. $\mathfrak{m}\mathfrak{j}$. Pulg. Flor. melilot. aa. $\mathfrak{m}\mathfrak{j}$. Chamomill. $\mathfrak{m}\mathfrak{i}\mathfrak{j}$. Sem. Anis. Cumin. Fœnic. aa. $\mathfrak{z}\mathfrak{j}$. Baccar. Laur. Juniper. aa. $\mathfrak{z}\mathfrak{v}\mathfrak{j}$. Incis. & contus. coq. in aq. q. s. ac dein post sufficientem coctionem ingredientia eximantur: Sacculisque s. linteaminibus complicatis inclusa, alternatim calide abdominis regioni applicentur, vel Decoctum s. Colatura ipsa cum vesica s. sponsia in eo madefacta adhibeatur: alii ex solo Vino Hispan. fomenta parant, ut & Spirit. Vin. &c. Linum crudum s. filum in lixivio ex cineribus coctum tepide admotum maximopere quidam extollunt: De quibus humidis in genere observandum, ne omnino refrigerentur, quandoquidem tunc malum potius augment: quamobrem hisce omnibus fomenta sicciore ac sacculi sunt præferendi. ex $\mathfrak{R}$. Fl. Chamom. Melilot. aa. $\mathfrak{m}\mathfrak{i}\mathfrak{j}$. Aven. torrefact. Furfuris aa. $\mathfrak{m}\mathfrak{j}$. Salis tost. $\mathfrak{m}\mathfrak{i}\mathfrak{j}$. misc. vel $\mathfrak{R}$. salis commun. tost. $\mathfrak{m}\mathfrak{j}$. Milij. $\mathfrak{m}\mathfrak{s}$. Sem. Anis. Cumin. aa. $\mathfrak{z}\mathfrak{j}$. Herb. Calamenth. Summit. Aneth. fl. Chamomill. aa. p. ij. Incis & contus: Misc. & sacculis inclusa per vices ut uni frigefacto ferme alter denuo succedat, calide adhibeantur: Alii Omenta quævis Animalium, Vervicina quippe, pro specifico Agnina, Hædina &c. Alii lapid. Serpentin: Alii asserculos quercinos, tegulas lapideas &c. calefactas commendant, quibus tamen nihil præter calorem actuale tribuere possum. Hisce nihil juvantibus cucurbitulam satis magnam & quidem cum multa flammâ umbilico applicatam maxime laudat River. Observ. 13. communicat: quæ sæpe Colicæ flatulentæ dolores incantamenti ad instar periisse præter River. passim etiam alii testantur. Cataplasmata denique *Emollientia*, ut & *Unguenta* ac *Emplastrâ* varia ex oleis Anodynis aliisque &c. è Practicorum scriptis immensam eorum Sylvam continentibus repetantur, cura tamen habenda ne nimis viscida ac mucaginosa, adeoque poros facillime obstantia fuerint, caloremque mediocre non excedant.

XXV. Doloribus paulum cessantibus, ad reliquias materiæ tum pituito-

sæ, cum flatulentæ ex ipsa M. S. educendas ac auferendas minieramque morbificam radicitus evellendam Cathartica mitiora conducunt, verum priusquam id purgantibus ore assumptis aggrediamur, rationi maxime convenit Aureum illud Hippocratis effatum, quod *concoctis non crudis mederi debeamus*: Aph. 22. S. 1. quapropter particulæ hæ viscida prius præparandæ & evacuationi idoneæ sint reddendæ: idque moliendum incidentibus, attenuantibus ac aperientibus vulgo dictis, ut Radic. Apii Asparag. Fœnicul. Brusc. Petrosel. (quæ & simul levia sunt Diuretica.) Herb. Absynth. Agrim. Calamenth. Meliss. Puleg. Rorismar. Semin. omnibus carminativis. Summit. Cent. min. Lign. Guajac. Sassafras. Cortic. Aurant. Citr. Gumm. Ammon. Sagapeno, Castor. quod hic in omni Colica optimum est Specificum, tam in quam extra Paroxysm. Conveniunt omnia denique salia. volat. s. fixa, Tartarea, Nitrata Martialia, &c. omnesque tandem Tinct. Spirit. aliæque compositiones ex iis præparatæ. Opiata licet specificæ aliis Colicæ speciebus conveniant, in hac tamen pessime audiunt. Ex hisce omnibus &c. pro lubitu tum ægri ipsius tum ratione modi affligendi variæ componi possunt formulæ, calidiora temperatioribus semper temperando: sic v. gr. &c. Rad. Apij. Fœnic. aa. ʒj. Petrosel. ʒβ. H. Centaur. min Card. bened. aa. mʒ, Marrub. mʒ. Sem. Anis. Dauc. Cartham. aa. ʒij. Bacc. Laur. Junip. aa. ʒβ. coq. in f. q. Aq. adcolat ʒxxiv. addend. Oxymell. Scyll. ʒj. sp. Nirri. dulc. ʒj. m. Dos. ʒij. bis de die. optime etiam Lign. Guajac. addi potest. Possunt & fieri vina Medicata: Vinum etiam Absynthites ut & Hippocraticum optime prosunt, cuius dosi instillari possunt gutt aliquot Elix. Propr. Sal. Volat. oleos. Tinct. Castor. Croc. Mixturas etiam optime ingrediuntur aq. destill. fl. Chamomill. Papav. Rhd. &c. Spir. Carmin. Sylv. Sp. Nitr. Eleosach. Anis. Aurantior. &c. item prodest pulvis Cortic. Aurantior. exterior. ʒj. cum vehiculo appropriato.

XXVI. Materia hisce præparata ac attenuata, flatibusque discussis ad purgantia devenire licet, quæ tamen leniora sint oportet, ac præstat per *Epicrasin*, quam simul & semel evacuare: ex El. Diaprun. Hier. Picr. ut & ejus Spec. El. de Succo Rosar. Diacarthamo. Decoctis & Vinis Medicatis adduntur rad. Polypod, Epithym. Sem. Cartham. Fol. Senn. de quibus notand. vix ferre coctionem: Fol. Senn. etiam aq. fervid. extrahuntur eodem modo uti hodie usus Herb. Thee. apud vulgum obtinet, cui liquori tum decantato absque forti expressione addi potest Syr. rosar. solut. &c. q. pl. pro correctorio opt. additur iis sem. fœnic. anis. & quidem hoc in casu præstat flaved. cortic. aurant. s. gutt. aliquot ejus olei instillantur haustui. Si validio.

lidioribus quis egeat præ aliis laudatur Sp. Vitæ Aur. Ruland. Apoze-
mati affusus f. Pulp. Colocynth. in nodul. ligat. incoquatur: Mercurius
dulcis additus Pilul. Cochiar. Alcephang. &c. egregius ad viscidos humo-
res simul incidendos ac educendos existit.

XXVII. Quod si ventriculus pituita fuerit onustus, ac Colica à fructi-
bus horariis orta fuerit, & Nausea ac Vomituritio frequens adsit, ne ve-
reatur Medicus hoc pacto Naturæ succurrere, levemque Vomitus provo-
care, unde sæpe numero dolorum continuatio diuturnior præcavetur,
dummodo hoc modo fomiti, qui alias ad intestina ulterius protrusus novos
denuo paroxysmos excitaret, hanc tragœdiam exercendi occasio surripitur:
Vomitus hic vel sponte digitis ipsius ægri in fauces immisiss aut levi aliquo
Emetico produci potest, Medicamenta mitiora suppeditant oleum amygd.
dulc. Iis vero quibus est res angusta domi, ol. rapar. Lin. &c. copiose hau-
stum, cerevis. butyrata, Decoct. hord. cum ol. Decoct. Rad. Vincetox.
si fortiora velimus Tart. Emet. Mynsicht. Sulph. Antim. Conserv. f. ex-
pressio folior. Asar. Crocus Metallor. in cujus usurpatione attendend. ad
liquoris quantitatem, qui etiam probe per chartam Emporeticam sapius
erit filtrandus. Priusquam vomitus præscribatur omnes circumstantiæ sunt
examinandæ, ut & virium ratio habenda.

XXVIII. Evacuatione f. per vomitum f. per alvum factâ, ad orgasmum
humorum compefcendum, partiumque solidarum robur stabiliendum,
vesperi vel citius optime Paregoricum quoddam ex Theriaca & Mithridat.
recenter parat. Diascord. Frac. f. Syl. addit. conf. Hyacinth. Alkerm. ocul.
Cancr. Antim. Diaphor. &c. exhibetur sic ꝛ. Diascord. Frac. ʒj. f. Sylv. ʒß.
Mithrid. ʒj. Sal. card. bened. gr. xv. Ocul. Cancr. ʒj. Syr. papav. rhæad. ʒij.
aq. Menth. Diaphor. an. ʒj. F. Haustus vel Aq. f. Decoct. fl. chamom. &c. vel
paratur. Mixtur. per vices cochlear. usurpanda ex ꝛ. Aq. Menth. Meliss.
an. ʒiʒ. Theriacal. ʒij. cinam. ʒiij. Diascord. Frac. ʒj. Ocul. cancr. crud.
pulv. ʒß. Tinct. Castor. Croc. an. gutt. xxxv. Syr. Meliss. ʒß. misc. aliæ-
que id generis parari formulæ possunt.

XXIX. Traditâ Colicam pituitosam & flatulentam curandi Methodo cæte-
teras quæ à particulis acrioribus quibusvis biliosis vulgo dictis ut & ab in-
flammatione &c. obiter tantum contemplabimur, cujus omnis curationis
cardo quoque in doloris mitigatione, ut & acrimoniæ correctione, ac datâ
occasione, evacuatione consistit: ad doloris mitigationem denuo *Clysters*
in usum erunt provocandi qui hic sint omnis omnino acridinis expertes non
tantum, sed & eam obtundentes, lenientes, & qui tales particulas eluere
apti existunt, constantes ex emollientibus & leviter refrigerantibus ut & acri-
moniam

moniam implicantibus, qualia, præter plurima superius enarrata quæ exinde peti possunt, Violar. Spinach. Atrip. Verbasc. ut & ejus flores: formulæ ex dictis repetantur, & varientur in paucis, mucaginosa hic magis prosunt, ut & Olea quæ addi possunt & loco sal. gemm. sumatur Butyri liquati q. pl. quia particulæ saline illi inexistentes pinguedine ad huc aliquatenus sunt obtusæ, attamen vi irritativâ haud plane destitutæ: Willis. Clysteribus addit Therebinth. Venet. quod particulis suis balsamicis intestina confortare & insuper à sanguine venoso exceptis, ac per totum corpus delatis urinas ducere, materiamque morbificam movere, acetosamque aliasve degenerem ad crasin meliorem reducere perhibet: Doloribus tamen atrocius adhuc sævientibus præcipue ubi inflammatio adfuerit optime parantur ex Decoct. hord. cum cremore Psisan. item & Decoct. isti incoquantur quandoque capit. papav. alii haud immerito parant ex lacte dulci recent. cum Vitell. Ovor. atque interdum ex solo lacte seu sero lactis tantum.

XXX. Interea etiam *Acrimoniam* temperantia sunt propinanda, inter quæ præter alia merito etiam ipsa Narcotica ac Opiata recenseri debent, & præsertim Opium s. Laud. opiat. ipsum, à *Williso* tanti habitum, ut absque iis ægrum nec vivere, nec Medicum aut ministros ægrotantium quiescere aut otio frui posse asserat, ac *Sylvius* se malle non esse Medicum quam *Opio* carere olim effatus sit, quibus mirandam ejus efficaciam innuere Practici adeo exercitatissimi conati sunt: quicquid sit, ipsum *Opium* quamvis humorum acrimoniam apprime demulcere, ac naturæ levem & amicam quietem concedere jam satis est manifestum, adeoque varie præparatum nostro etiam affectui haud parvas asseret suppetias, dummodo Medicus prudens justam ejus dosin non excedat, ac opportuno tempore antequam patientis vires collapsæ fuerint, exhibeat: præparationes ejus variæ existunt ut Tinct. Anodyna s. Essent. Opii, Laud. Opiat. Laudan. Histerical. &c. quæ s. per se, s. aliis nonnimis calidis exhibeantur: pertinent huc. Laud.; Paracelsi Pill. de Cynogloss. de Styrace, Opii solutio Tartarifat. prodest alternis noctibus à gtt. xvi ad xx optime exhibetur: satis congrue Castor additur Opio, ut & Nitrum si quid adhuc alieni adfuerit ejus correctorium existit.

Præter Opiata maxime prosunt ad acrimoniam imbibendam Ocul. Cancr. Corn. Cerv. s. usti s. sine igne præparat. aliove quovis modo exhibit. Test. Conchar. Ostrear. &c. omnia terrea, testacea, pertinacia vulgo ab Authoribus nuncupata; Sperm. Cet. recens minime vero rancidum, item Millepedes, Lumbrici terrestres præpar. Nitrum præcipue, Sal prunell. quæ variis formulis addi possunt: sic conducit Mixtura seq. ex ℞. aq. Card. bened. Meliss.

Meliss. aa. ℥ij. Ocul. Cancr. ppt. ℥ij. Laud. opiat. gr. iij. Syr. pap. alb. seu Rhd. ℥℥. Misc. detur cochleatim. vel in pulver. ℞. C. C. ust. Ocul. Cancr. Mandibul. Lucii piscis aa. ℥j. Stercor. gall. alb. sicc. ℥i℥. Castor (quod hic alteram facit paginam) Croc. aa. ℥℥. F. Pulv. dosis ℥℥. vel ℞. Castor. opt. Sperm. cet. rec. aa. ℥j. Ocul. Cancr. Test. ovor. calcin. aa. ℥ij. Sem. Anis. fæn. aa. ℥ij. Laud. Op. ℥℥. F. pulv. dosis ℥ij. Huc refer quævis Nitrata, ac Chalybeata omnia s. in pulver. s. Tinct. &c quibus Conditum placet. ℞. Rob. Sambuc. ℥j. Antim. Diaph. Ocul. Cancr. pulv. aa. ℥j. s. ℥i℥. M. Præprimis hic in usu esse poterunt Emulsiones ex ℞. Hord. mund. ℥i℥. decoq. in Aq. pur. s. q. ad t℥i℥. dein ℞. Hord. hujus ad molitiam coct. ℥j. s. q. pl. sem. cucum. Melon. aa. ℥iij. Amygd. dulc. excorticat. ℥j. Sem. Cannabin. ℥℥. contund. in mortar. Lapid. & emulge cum Decoct. ipso modo præscript. Colat. ℥xx. add. Laud. op. gr. v. Syr. pap. Rhæad. ℥i℥. M. vel loco Sem. Cannab. sem. papav. alb. si quis julapium velit. ℞. Rad. Scorzonæ. Bardan. aa. ℥j. Rasur. C. C. ℥vj. Cortic. Citr. rec. ℥℥. Fol. Meliss. mj. Rad. Liquirit : ℥iij. coq. ex aq. pur. Colat. ℥xx. adde Laud. op. gr. iij. Sal. prunell. ℥ij. misc. detur pro lubitu.

XXXI. Interea dum hæc aguntur, alvusque Clysteribus non aperiatur, ubi necessitas urget ad leviora purgantia deveniendum, quibus materia morbifica penitus exturbetur, ad quod præter alia conducunt mitiora quæpiam ex *Ptisana laxant. River.* Cass. extr. Decoct. prunor. quibus nulla adest aciditas, Syr. Cichor cum Rheo, Rosar solut. Mann. cum Decoct. Cichor. s. hord. cum passulis. Rhabarb. s. in pulv. ad. ℥ij, aut ℥j. Nitr. gr. V. M. vel in infuso ad ℥i℥. s. ℥ij. vel ℞. Mann. sel. ℥j. dissolv. in s. q. aq. pur. addend. ol. Amygd. dulc. ℥vj. vel ℥j. misc. prodest & serum lactis cui etiam varia alterantia, laxantia incoqui poterunt. Ubi vis purgans cesset sub vesperam Paregoricum detur ut supra dict. ac enarrat.

XXXII. Quod si inflammatio adfuerit, seu febris vel metuatur vel modo adfit, quum vires nondum prostratæ fuerint, morbusque adhuc nullum morâ suâ irreparabile attulerit damnum, V. S. quâ nullum hac occasione præstantius remedium, quam primum celebranda, revulsiois gratia in brachio, sin vero simul & urina suppressa sit, aut in mulieribus aliæ indicationes id suadeant, in talo, ubi notand : sangninem parva tantum copiâ esse educendum, venamque sæpius digito tegendam detegendamque subinde, ut eo melior ac major revulsio fieri possit, absque larga sanguinis profusione.

In inflammatione etiam Medicamenta quævis purgantia licet & mitiora

in initio cane pejus & angue sunt vitanda, si quid vero educendum, id Clysteribus tantum moliendum, ac ulterius cura inflammationibus propria adhibenda. Intestina ac fœces Lupi, ut & pulvis suberis usti s. dolii obturamenti in omni Colica pro specifico habentur.

XXIII. In Colica Convulsiva: Spirituum dyscrasia erit emendanda, vitia iis inexistentia tollenda, motusque efferus inordinatus ac enormoticus reprimendus ac cohibendus & in ordinem redigendus, partesque nervosæ sustentandæ non tantum sed & roborandæ: efficiunt hoc Balsamica Antispasmodica ac Nervina, quæ cum satis diffuse passim ab Authoribus tradantur, & iis diutius inhærere tempus vetet, ex eorum voluminibus videantur: denique cum & Spirituum bene esse multum à M. S. dependeat ejus etiam præcipue ratio habenda, cujus cura ex superioribus modo dictis repetatur: aliæ Colicæ species facili Marte curabuntur sublata earum causa quæ cum diversa etiam existere possit ratione causarum varia etiam cura erit habenda.

XXXIV. *Dieta* quænam conferat ex dictis de sex rebus nonnaturalibus satis patet, instituaturs causæ morbificæ contraria, *Aër* sit moderatus vitetur summe frigidus ut & incessus nudis pedibus in pavimento frigido lintheaminumque frigidorum ac humidorum tractatio. *Cibus* sit *Euchymus* & *Eupeptus* absint visceri, glutinosi flatulenti & omnes acriores, acide: *Potus* sit *Cerevisia* mediocris bene defœcata minime turbida antiqua & acida. *Somnus* & *Vigilia*, *Motus* & *Quies* modum ne excedant: *Ira*, *Mæstitia*, *timor* cane pejus & angue sint vitanda. *Excreta* & *Retenta* naturaliter procedant, quæ si deficientiis leni quodam adjumento succurras: hæc omnia si in statu sanitatis observentur æque ac in morbo multo incommoda evitabis morbo verum oppressus Colico si fueris, remedia hic proposita prudenter usurpes, nec dubito quin adspirante Summo Numine brevi ab eo liber evades: verum

Ni Deus adfuerit, viresque infuderit herbis:

Quid rogo Diptamnus, quid Panacea juvent?

B E L L A R I A.

- I n omni Hydrope est solutio continui vasorum lymphaticorum.
O mnia sunt Venena seu nulla sunt Venena.
H ippocrates novit Glandulas Intestinales.
A rtis Medicæ finis est Sanitas;
N on semper V. S. gravidis nocet.
N ec Menstruorum fluxus fœtui.
E rrbina modicè usurpata visum acuunt, immodice vero cæcitatem inducere valent.
S anitas consistit in actione.
B onam Dietam non observans patiens sanari nequit.
L ac non generatur ex Sanguine sed ex Chylo.
A dagium sanis omnia sana falsissimum.
N on datur Panacæa. Nec
Q uoque Medicamentum Antifebrile Universale.
U terum in Hysterica passione ad fauces seu partes longe inter eas sitas adscendere Anicularum est somnium.
E ssentia Febris non consistit in calore.
B onus qui velit esse Medicus Pharmacis & Chirurgiæ notitiâ ut imbutus sit oportet.
I udicium de morbis ex inspectione Urinæ ut plurimum est incertum.
I nstanti quum non fiat Sanguificatio, sed reiterata Chyli cum M.S. revolutione, nulli soli visceri est adscribenda.
L icet in Dysenteria alvus fluat non tamen formidanda purgatio.

F I N I S.

In Honorem D. JUVENIS
JOHANNIS BLANQUEBYL:

Scitè ac Doctissimè De COLICA

publice pro Gradu Doctorali differentis.



E Colica doctè dicentem nuper Apollo
BLANCBYLIUM audivit; cumque stuperet, ait:
Demitte auriculas Veterùm pars magna Medentùm,
Demitte auriculas pars quoque magna Novùm.
En nodum, quem nec satis hæctenus ipse Galenus,
Ipse nec Hippocrates solvere ritè valet,
Nec gladio posset Pellæus, CLARA SECURIS
BLANCBYLI findit. Nomen & omen habet.
Ecce rudem, dixit, cape post stipendia dignum;
En Laurum, & Doctis pilea digna comis
De Colica Te jam dicentem vidimus, exin
Punctum inter Medicos & Colon omne feres.
Dat tibi phœbus Opes, & Dat tibi phœbus Honores,
UNICUS, Ut Valeas, at Dabis Ipse tibi!

Ita populari suo gratulabundus accinebat

G. B. ALTING.

A D E U N D E M.



Iccine, BLANCBYLY, Medice Decus artis? amatum
Sic mitrà caput & lauro præcinxit Apollo?
Scilicet hæc judex reddit tibi præmia Virtus;
Magnus Honos comes est magni sic usque Laboris.
Nempè cupis nosmet meliori vescier aurà,
Tetraque morborum sapiens examina pellis.
Sic sapi; Et qui herbis prolongas tempora vite.
Huic vite rursus prolonget tempora fama.

Apponebat

STEPH. RUD. FREITAG.

Liberal. Art. Studiosus.